

Johann Huswedel

**Prorector Academiae Rostochiensis Joannes Huswedelius Graec. liter.  
Professor, ad exequias funebres, Quas ... filiolae Sophiae Sturzia, Parentes  
moestissimi Cupiunt paratas, Omnes omnium ordinum Cives Academicos ...  
invitat**

Rostochi[i]: Pedanus, 1626

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77682791X>


Druck Freier  Zugang




**Huswedel, J.**

**in S. Sturz.**

**Rostock, 1626.**







PRORECTOR  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS  
JOANNES HUSWEDELIUS

Græc. liter. Professor,

ad exequias funebres,

Quas

*Scitissima, suavissimæq; filiola*

SOPHIAE  
STURZIAE,

Parentes moestissimi

*Cupiunt paratas,*

Omnes omnium ordinum Ci-  
ves Academicos officiosè & pera-  
manter invitat.



ROSTOCHI  
Literis Joachimi Pedani Academ.  
Typographi Anno 1626.



Etus est sententia, quæ  
inter Mimos Publianos recense-  
tur, *Bona mors est homini, vitæ quæ  
extinguit mala*: Cujus veritatem  
eo magis deprehendimus, quo  
diutius vitam hanc mortalem vi-  
vendo producimus. Quanta  
enim Ilias malorum, quam terri-  
bilis Lerna, quam fæda Camarina hisce nostris annis mo-  
ta sit, ut naturalia & humano generi communia tempe-  
stivo silentio transmittantur, sciunt omnes- *nisi qui non-  
dum ere lavantur*, (qui etiam hac sua simplici ignorantia  
censendi sunt feliciores,) experiuntur verò promiscuè  
reges & Achivi, senes capulæres & filicernia quiritantur,  
*Ab Domine quæ nos in tempora servasti.* Viros ætatis  
mediæ & juvenes florentis gemere saltem, si non ejula-  
biliter conqueri, audimus, *O multa dictu gravia!  
perpeffu aspera!* Quid ab ijs expectemus, qui fari non-  
dum possunt, nec si possent, intelligunt curriculum,  
quod in hujus vitæ stádio sive gradatim, sive cursim e-  
metientur, fortunam? Haud dubiè suam lamentarentur  
miseriam & verum esse faterentur, quod Græci dicunt,  
*ἡ βίη ἐστὶ βίη ἀδὰ σὺν φερί.* Quod si verum est, & *bona  
mors erit, vitæ quæ extinguit mala*, & felices, qui cito de-  
finiunt esse miseri: nec tantum desinunt esse miseri, sed  
& nova felicitate ac beatitudine miseriam veterem com-  
mutant. Ejus ergo miseriam finem & felicitatis ingres-  
sum SOPHIÆ STURCIADI filiolarum suarum, flosculo  
infantularum venustissimo ac blandissimo nudiusquar-  
tus contigisse dolent mæstissimi parentes, & hoc suo deli-  
cio se orbatos esse, idque subito & præter expectationem,  
quippe quæ parentibus tantum ostensa, anno uno, mensi-  
bus

bus quatuor, septimanis tribus, diebus quatuor, hanc mi-  
seriarum vallem peragravit. Nata est enim Anno vigesi-  
mo quarto hujus seculi pridie Michaelis Archangeli ex  
parentibus, de quibus olim, si superstes fuisset, justissima  
cum gratulatione sibi gaudere potuisset. Siquidem  
patre fata est Nobiliss. Ampliss. & Consultissimo Viro,  
Dn. AZARIA STURZIO, historiarum in hac alma  
Academia Professore clarissimo, Illustriss. ac Celsiss.  
Principum Megapol. in Polonia exlegato, Illustriss. ac  
Celsissimorum Principum Holsatiæ lineæ Sonderbor-  
gensis consiliario præcipuo, & à Serenissimo ac Poten-  
tissimo rege Sueciæ GUSTAVO Hercule Musageta  
verè AUGUSTO & ingeniorum excellentium, ut æ-  
stimatore, sic fautore unico, ad consiliarij regij digni-  
tatem ac munus vocato. Atq; ita avum sortita est pari-  
ter Nobiliss. Consultiss. & Eloquentissimum oratorem  
ac Jctum, Dn. CHRISTOPHORUM STURZIUM,  
Equitem Livonum, in historiciæ professionis munere filij  
prædecessorem, ejus viri memoriam jure meritoq; co-  
limus, quos ille tanquam Hercules quidam Celticus in  
amplissimis, amantissimis & utilissimis historiæ Augustæ  
campis catenatos ducebat, oratione merum Nectar &  
Ambrosiam sapiente pascebat, civili prudentia, ut cu-  
juslibet captus erat, audientium animos instruebat, au-  
gebat, confirmabat. Vxor huic erat hujus beatulæ a-  
via CATHARINA CLINGIA, Dn. BARTHOLOMÆI  
CLINGII, Magnifici, Ampliss. & Consultiss. Viri,  
Professoris itidem de hac nostra Academia, & Illustrissi-  
morum Principum, de tota provincia bene meriti, con-  
siliarij, ex fratre neptis, nunc vero in tertio conjugio  
Consultissimi & Prudentiss. viri, Dn. D. JOANNIS MO-  
RINGII, inclutæ hujus Reip. Consiliarij & Secretarij



primi viridem adhuc ætatem degens matrona. Ma-  
ternum vero genus DOBBINIORUM hac in urbe &  
Rep. florentissimum est. Mater enim SOPHIA defunctæ  
filiolæ cognominis DOBBINIA, nata est ex patre Sena-  
toriae dignitatis, viro Ampliff. & prudentiff. Dn. STE-  
PHANO DOBBINIO p. m. de hac civitate bene meri-  
to, qui conjugem habuit, ILSAM WOLTERSTOR-  
FIAM, singularis exempli ac virtutis matronam, con-  
sultissimo viro, Dn. FRIDERICO CORFEIO, Jcto &  
practico celeberrimo secundis itidem nuptijs conjun-  
ctam matronam. His parentibus majoribusq; ortam  
puellam nihil juvit vel paternæ & avitæ virtutis, picta-  
tis, eruditionis copia, vel maternæ familiæ dignitas, vel  
spes de futuris concepta gaudijs, qualia sibi solent ex be-  
ne natis, pie pudiceq; eductis filiabus promittere sollici-  
ti parentes: quin acerba mors crudelès ungues tenello  
capiti iniiceret & in censum suum transferret. Hoc  
genus immatura, ut nobis videntur, & acerba funera  
veteres Romani ante lucem efferre solebant, scilicet, ne  
sol tantum nefas adspiceret. Desidero hic vestram sapi-  
entiam, viri cætera sapientissimi. Itane putatis esse ne-  
fas mori mortalem? Quanto vobis illi sapientia præsti-  
terunt, quantumvis visi ac dicti barbari, qui diem na-  
talem luctu & plânctu, exsequias lætitia ac hilaritate  
celebrabant. Quanto alij, qui diem funeris domestico sa-  
crificio & necessariorum convivio finire soliti, imo ho-  
dieq; solent. Animadvertēbant nimirum, nihil ad rem at-  
tinere, dolori indulgere & stultè conqueri, quod Deus  
immortalitatem suam nobiscum partiri noluerit, præser-  
tim cum relinquuntur moriendo labores & pericula, quæ  
nascendo statim subeuntur. Sed inquiras, non tam ipsa  
mihi mors filiolæ hunc dolorem & luctum exprimit, quàm  
imma-

immatura illa & planè inexpectata: quot enim annos  
potuisset vivendo ex plere? quot mihi læticias concilia-  
re? Verum hæc ipsis etiam poëtis adeo visa fuerunt com-  
munia, ut in Comædia legamus, quod ista diluat:

Ἐἴθ' εἰ μὲν ἦδεις, ὅτι τῶν τῶν εἶον  
ὄν σου ἐβίωσεν, τῶν διδύμοχρον ἄν,  
ὁ γέναι σου εὐκαίρῳ εἶδ' ἠνεγκνῶν  
εἶθ' ὁ βίβ' πὶ τῶν ἀνηκῆτων, ἴσως  
Ἄυτὸς σὺ γέροντι εὐνοῦσερ.

Si constitisset hac de re certo tibi,  
Reliquum quod illa vitæ cursum prosperè  
Fuiſſet exactura, mortem dicere  
Intempestivam tibi liceret: sin erat  
Gravis aliqua eventura calamitas ei,  
Mors melius illi quam tu consuluit quidem.

Potuisset igitur læticias & gaudia parentibus conciliare  
si vixisset: sed & mærorem, luctum, lacrimas, non quidè  
sua, melius enim sperare licet de bene natis, sed tempo-  
rum infelicissimorum culpa. Quot enim querelas passim  
audiri putabimus, etiam hæctenus florentissimorum pa-  
rentum, quibus nec opes relinquuntur, quas liberis col-  
legerant, & liberi vel planè, & crudeliter tolluntur, vel  
indignis modis tractantur, quos in spem istarum sustu-  
lerant atq; educaverant. Heu quare te genui? cur geni-  
tam ex ipsis cunis in tumultum non intuli? paucis enim  
& cito areſcentibus lacrumis hoc mihi cordolium, sensu-  
bus intimis inpressum, redemissim; Cur te filiolè contu-  
meliose occifum? cur te filia, stupro pollutam adſpicio?  
cur mihi creptas opes, dignitatem, omnia vitæ subsidia &  
ornamēta? cur in exilio vitam tolerare cogor omni mor-  
te acerbiorē? Hæc plurimi haud dubiè, in hoc publico  
& communi infortunio. Quin potius nos fatebimur di-


vinitus factum, quod istis & alijs malis prærepta sit hæc  
nostra beatula, cum & gentiles agnoverint, quod à Deo  
ametur, quæ in ista ætate moritur. Sed ne in his commu-  
nibus pergam, tu Nobiliss. Dn. collega, cum prius DEVM,  
deinceps te ipsum respice. DEus est, qui & hanc tibi dedit,  
idem qui ad se recepit, & alios aliasq; plures reliquit. Hu-  
jus tu voluntati obsequere, quod ab illa profectum, opti-  
mè factum interpretare. Nunquam iste jactus cadit infe-  
liciter. Quin imò, cur non lætaris, quod habueris? quin  
hoc ipsum quod fruitus es, in lucro & beneficio ponis?  
Ingratus ille, qui præteritorum oblitus, præsentia tantùm  
cogitat, aut futura. Imo, quod philosophi dicunt, certis-  
sima voluptas est ea, quæ fuit: *τιὺτ' ἔχω* dicebat rex luxu-  
riosus, licet bove dignius quàm homine. Nec tamè sine solatio  
idem ille benignus Deus te reliquit. Vnicè quidè dile-  
xisti, sed unica tamen non erat. Vt igitur si tunicam ami-  
sisses, alia te sumpta vel tegeres, vel ornares; Habes hæc  
parte, quod plurimi alii non habent. Sed & te ipsum respi-  
ce, cui dilectissima filiola haud dubiè luctum reliquit, sed  
ratione & robore vincendum ac superandum. Illa instru-  
ctus es, non solum in S. Spiritus ludo, sed & philosophorũ  
spaciis: utriusq; sapientiæ mysta, nunc experire, quantum  
in utraq; profeceris. Deinde robur viro convenit. Is te se-  
xus fortitudinis admonet, ut omnem à te muliebrẽ sper-  
nas molliciẽ. Ita quidem est, talis casus etiã duro ac per-  
pessitio, ut Senecæ verbo utar, doloris confessiones ex-  
primit. Sed in mentem tibi veniat pugil, qui ab adver-  
sario percussus ne gemebat quidem, cum spectatores etiam  
ex condolentia conclamarent. Quid ni ratio & robur tibi  
det, quod illi exercitatio? Quin & hanc personam in hu-  
jus mundi profcenio tibi Deus agenda inposuit, quæ  
non ipsa solum laudata præstantum virorum exempla se-  
quere.

queretur, sed alijs exemplo esset. Vrbes nōsti, & publica  
voce doces, Resq; publicas, quam sint fatalibus mutatio-  
nibus & corruptelis obnoxia: alias terrā motus evertit,  
alias aquarum eluvies hausit, alias ariete percussas ferrū  
& ignis hostium delevit: alias alii casus everterunt. Quid  
ergo doles, homini, ut filiola tua fuit, simile quid, huma-  
no quidem iudicio, contigisse? Fac igitur, ut alij te talem  
intelligant in hoc fuisse casu, quales alios tui ordinis fu-  
isse legimus: Xenophon cum de morte liberorum audis-  
set nuntium, ἤδεν αὐτὸς θνήσκεις γυνήσους, dixit, sciebam illos  
mortales à me genitos. Idem Loehagus, idē Tynnichus,  
Panatius, Anaxagoras, alii ex Græcis politicis & philoso-  
phis: quibus nihilo indignius, imo etiam longē fortius in  
isto casu se Romani gesserunt. Horatius cōsul in Capitolii  
dedicatione, Fabius Max. in filio consulari, in duobus  
Æmilius Paulus triumphans in puberibus, in prætorii  
morte Cato, & horum similes alij. Horum tu exempla tibi  
notissima imitare, & fac ut alijs illustri exemplo præceas.  
Nos vero cives Academici id agamus, quod nostrum est.  
In hisce calamitosis temporibus philosophemur, siquidē  
philosophia est μελέτη θανάτου, & istud exēplum imitemur,  
cujus cōmemoratio erit instar omnium. WILHELMVS  
Hassia Landgravius, PHILIPPI illius magni filius, MAV-  
RITII, adhuc Dei gratia superstitis, pater, ELISABETHÆ  
nuper cum ingenti hujus provinciæ & Academia luctu-  
ae lacrumis defunctæ heroinæ, ducis Megapolitanae &c.  
p. m. avus, princeps summæ prudentiæ & æquitatis, ad-  
hæc Mathematicarum & aliarū scientiarum peritissimus,  
(quod Hessicæ familiæ gentile esse testatur historicus) à  
repentina morte sibi metuebat, propter incommodam  
corporis habitudinem. Qua vero erat pietate & inperter-  
rito ad extrema animo, mature condito testamento, quo-  
tidie

fidie, cum dormitum ibat, nō solum preces, coram omni  
familia, ad Deum concipiebat, sed venia ab affantibus  
petita, quasi singulis noctibus moriturus esset, ultimum  
amicis Vale dicebat. Hunc morem toto decennio, ante-  
quam piē ac beatē moreretur, sedulo servavit. Quod si  
quotidiana morientium exempla, in quibus hujus infan-  
tulæ hodiernum est, parum nos movent, at moveat nos  
homunciones princeps, & princeps eruditissimus, & prin-  
ceps Christianus, cujus quid simile in omni antiquitate  
inveniemus? Meditemur ergo mortem, offensas mutuas  
deponamus, remittamus, ex animo deleamus. Dormitū  
eamus vesperi, quasi crastinum solem nō visuri, in statio-  
ne continua & assiduis excubiis vigilemus, & ubi signum  
receptus audierimus, alacres Imperatori vocanti paream-  
us, & cum eo ex hac militia in pacem & quietem aternā  
concedamus. Et hoc nobis quidem nostroq; ipsorum u-  
sui & comodo prestemus: Nobiliss. vero & Consultiss.  
Dn. collegæ nostro, ejusq; vxori maestissimis, ut par est,  
parentibus hujus animulæ decedentis, qua possumus ac  
debemus, condolentiæ nostræ Christianæ affectum teste-  
mur. Possumus autem frequenti conventu ad exequias  
præsencia nostra ornandas: Debemus id certē propter  
officia, quotidianis laboribus præstita, & in totam Acade-  
miam insignia merita: Tum splendor utriusq; familiæ  
hoc à nobis officium gratitudinis, pro favore & benevo-  
lentiā, qua nos nostrumq; ordinem prosequitur, po-  
stulat flagitatq;. Id igitur ut faciant omnes Academicæ  
Reipubl. cives, & hodie hora prima pomeridiana in tem-  
plo S. Jacobi frequentes conveniant, quo par est, studio  
rogamus ac sedulo hortamur. P. P. Rostochij sub sigil-  
lo Academiæ 15. Februar. 1626.













queretur, sed alijs exemplo esset. Vt  
 voce doces, Resq̄ publicas, quam sin-  
 nibus & corruptelis obnoxia: alias  
 alias aquarum eluvies hausit, alias a  
 & ignis hostium delevit: alias alii cal-  
 ergo doles, homini, ut filiola tua fuit,  
 no quidem iudicio, contigisse? Fac igi-  
 intelligant in hoc fuisse casu, quales  
 isse legimus: Xenophon cum de mor-  
 set nuntium, ἡδεν αὐτὸς θυηλὸς θνητῶν,  
 mortales à me genitos. Idem Lothag  
 Panatius, Anaxagoras, alii ex Græcis  
 phis: quibus nihilo indignius, imo eti-  
 isto casu se Romani gesserunt. Horatii  
 dedicatione, Fabius Max. in filio co-  
 Æmilius Paulus triumphans: in pube  
 morte Cato, & horum similes alij. Hor-  
 notissima imitare, & fac ut alijs illust-  
 Nos vero cives Academici id agamus  
 In hisce calamitosis temporibus philo-  
 philosophia est μελέτη θανάτου, & istud e-  
 cujus cōmemoratio erit instar omniu-  
 Hassia Landgravius, PHILIPPI illius n-  
 RITII, adhuc Dei gratia superstitis, pa-  
 nuper cum ingenti hujus provinciæ &  
 ac lacrumis defunctæ heroinæ, ducis  
 p. m. avus, princeps summæ prudenti-  
 hæc Mathematicarum & aliarū scienti-  
 (quod Hessicæ familiæ gentile esse tes-  
 repentina morte sibi metuebat, prop-  
 corporis habitudinem. Qua vero erat  
 cito ad extrema animo, mature condit-



publica  
 nutatib-  
 evertit,  
 fas ferrū  
 nt. Quid  
 , huma-  
 e talem  
 dinis fu-  
 n audif-  
 am illos  
 nichus,  
 philoso-  
 rtius in  
 apitolii  
 duobus  
 ratorii  
 pla tibi  
 præcas.  
 um est.  
 liquidē  
 temur,  
 LMVS  
 MAV-  
 ETHÆ  
 e luctu-  
 næ &c.  
 tis, ad-  
 limus,  
 (cus) à  
 odam  
 rterter-  
 , quo-  
 tidie